

SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

DE
NONNULLIS SCRIPTORUM GRAECORUM
LOCIS DIFFICILIORIBUS.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE PHILOSOPHORUM GISSENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HUGO WILLENBÜCHER

NIEDER-OLMENSIS.

GISSAE.

TYPIS EXPRESSIT VILHELMUS KELLER.

MDCCCLXXXIII.

G. L. Sather

Quae lecturis hic offeram exigua sunt prae eis quae nunc in opusculis suis tirones fere solent praebere. Nam neque multa sunt, ut plagularum copia vel obiter intuens possis oblectari neque splendent novarum coniecturarum lectionumve ex codicibus collatarum ornamentis neque doctrinae illo flore, si fas est dicere, insignia sunt, qui in mutilatis titulorum reliquiis si minus emendandis explicandisve at exscribendis tamen et ad literarum formas et puncta et uncos depingendis hodie cernitur. At mea vertitur tota quaestio in colligendis interpretandisque scriptorum locis pertinetque ad nonnullas voces Graecas explicandas, quas cum apud scriptores saepissime usurpatas invenissem neque quae ab hominibus doctis de earum usu prolata sunt ab omni parte mihi viderentur sufficere, rem ita instituere consilium cepi, ut quam possem diligentissime perlectis bonae aetatis scriptoribus denuo examinarem, quae esset apud Atticos scriptores significatio adiectivorum *φανερὸς* et *ἀφανὴς* cum substantivo *οὐσία* coniunctorum et substantivi, quod nonnunquam iuxta eas voces comparet *ἔπιπλον* vel — nam plurali numero solet usurpari — *ἔπιπλα*. Colligendis

igitur quam plurimis exemplis cum confidebam scriptorum opera in quae incumberem melius me ipsum cogniturum esse et intellecturum, tum fore sperabam ut de vocabulis illis in disceptationem vocandis quod prolaturus essem, quantulum id cunque esset, etiam aliis probarem. Iam si hanc me spem fefellisse dixeris, illo quem ex labore meo percepi fructu me contentum esse profitebor.

Ac primum quidem viri docti *οὐσία φανερὰ* et *ἀφανὴς* vocibus falsas attribuerunt significationes, cum in errorem inducerentur lexicographorum Graecorum verbis, ex quibus instar omnium nunc satis est laudasse Harpocrationem, qui sub voce *ἀφανὴς οὐσία καὶ φανερὰ* profert haec : *ἀφανὴς μὲν ἡ ἐν χρήμασι καὶ σώμασι καὶ σκεύεσι, φανερὰ δὲ ἡ ἔγγειος· Λυσίας ἐν τῷ πρὸς Ἱπποθέρσην.* Quibus verbis Salmasius cum fidem haberet (d. m. u. pag. 85) distinxisse dicebat Graecos ita inter *ἀφανῆ οὐσίαν* et *φανερὰν,* ut nomine *ἀφανοῦς* comprehenderent pecuniam, mancipia, vasa, ceteram supellectilem, omnia denique bona mobilia, sub voce *φανερὰν* intellegerent praedia urbana et rustica. Similia apud Boeckhium invenimus Oec. Ath. I pag. 638 aliosque qui eum secuti sunt veluti Meierum de lit. Att. pag. 490, Wachsmuthium Ant. Hell. II pag. 93, Büchsenschuetzium Besitz und Erwerb pag. 38. Contradixit primus Koutorga in actis Acad. Petrop. anni 1859, qui multis scriptorum locis congestis sagaciterque examinatis alia de illis vocabulis protulit et ex parte meliora. Dixit enim, Graecos omnia ea pro *φανερᾷ οὐσίᾳ* habuisse, unde tributum in aerarium publicum pendi opporteret, *ἀφανῆ* vero iis ea fuisse quae occultare

solerent, ne vectigalia solvere cogerentur. Quod quamquam melius est, quam quod ceteri protulerunt, tamen ne illud quidem ab omni parte mihi probatur, nam quam Koutorga unam esse horum verborum significationem statuit, eam quicunque scriptores Graecos accuratius perlegerit revera triplicem fuisse videbit.

Ac primum quidem *φανερά* ea pars rei familiaris dicitur, quam quis ab altero interrogatus se habere concedere (*ὁμολογεῖσθαι*) debet, cum *ἀφανής* ea sit, quam dissimulare (*ἀφανίζειν* vel *ἀποκρύπτεσθαι*) potest. Quod quamquam multis exemplis comprobatur, optime tamen et commodissime perspicitur ex Isaei orat. de Hagniae hered. § 43 *). Orator enim omnia quae Stratocles possidet breviter enumerat, agros, domus, pecuniam praesentem et foenori datam, supellectilem, animalia, fructus, quibus addit *καὶ οὔπω λέγω περὶ τῶν ἄλλων, ἃ κατελείφθη μὲν, οὗτοι δ' οὐκ ἀποφαίνουσιν, ἀλλὰ τὰ φανερὰ καὶ τὰ ὑπὸ τούτων ὁμολογούμενα,* unde *ἀφανῆ* omnia ea esse apparet, quae Stratocles, cuius intererat ne admodum dives videretur iudicibus, *οὐκ ἀποφαίνει*, ea igitur ratione possidet ut ceteri homines quamquam ab eo possideri suspicantur, pro certo tamen illud dicere non audeant, *φανερὰ* autem ea, quae cum dissimulari nequeant omnium oculis conspiciuntur et quasi digitis enu-

*) Nonnulla, quae huc pertinent iam a Philippio in scriptiuncula peculiari anno 1871 Lipsiae édita adumbrata sunt, quibus ita utar, ut quae minus recte mihi dicta esse videntur tacito omittam, quae magis exposita esse puto quam explicata, quam maxime explanem novisque exemplis illustrem.

merari possunt. Quapropter *φανερὰς* omnes hominum res dixeris, fundos et servos et supellectilem et pecuniam, quantam qui habet se possidere infitiari nequit. Quae cum ita sint, etiam in Lysiae XII. orat. § 83 *τὰ φανερὰ χρήματα* quae dicuntur, non tantum immobilia sunt bona, ut Frohberger minus recte interpretatus est, sed cum immobilia tum mobilia, omnia igitur, quae Eratostheni esse Athenienses sciebant oppositis iis quae ab illo sub triginta virorum imperio parata ne hominum calculum in bonorum publicatione effugiant Lysias veretur. *Ἀλλὰ γάρ,* inquit, *εἰ τὰ χρήματα τὰ φανερὰ δημεύσαιτε, καλῶς ἂν ἔχοι ἢ τῇ πόλει, ἧς οὗτοι πολλὰ εἰλήφασι ἢ τοῖς ἰδιώταις, ὧν (τὰς) οἰκίας ἐξεπόρθησαν;* Quid *τὰ χρήματα τὰ φανερὰ* esse bona tantum immobilia? Quando Athenienses si rei cuiusdam bona publicare decreverant, non omnia sed partem tantum publici iuris fecisse audivimus? An Lysiam, qui nullam poenam Eratosthenis sceleribus aptam invenire se posse professus est, cum de bonorum publicatione diceret, de parte tantum eorum publicanda quasi de minus gravi poena cogitasse putas? Itaque id quod supra dixi *χρήματα τὰ φανερὰ* sunt Eratosthenis bona quaecunque hominum oculos non effugerant, *ἀφανῆ* autem quae sibi clam congesserat Eratosthenes quaeque si bona sua publice venirent sibi retineret *). Atque quae apud Lysiam *τὰ φανερὰ χρήματα,* ea apud Xenophontem sunt *τὰ ἐμφανῆ χρήματα,* Hellen. V c. 2 § 10. Phliasios enim quondam a Lace-

---

*) Conferas Plutarchi Themist. c. 25 § 2.

daemoniis coactos permisisse legimus fugitivis in patriam redire et reversis ut redderentur *τὰ ἐμφανῆ κτήματα* decrevisse, quae quidem ea fuisse suspicor, quae ante fugam se habuisse etiamtum unusquisque testibus confirmare potuit, quorum igitur possessio, ut ita dicam, antea erat *φανερά*. Contra si quaerimus, quae potissimum res ad *οὐσίαν ἀφανῆ* pertinuerint, pecuniam dico et gemmas et monilia omnes denique res pretiosas, quae vestibus vel cistis condi solent. Tenendum tamen est, ne haec quidem semper, id quod ex Isaei loco supra commemorato videmus, occultae si fas est dicere possessioni adnumeranda esse, cum saepissime factum sit, ut vel ea pecunia, quam quis se possidere hominibus dissimulare studebat, revera esset *φανερὰ*, veluti in Isaei de Dicaeog. hered. § 35 accusator ne Dicaeogenes simulatione paupertatis iudicum animos ad misericordiam impellat veritus illum non ita pauperem esse ostendit, sed multa domi habere, quae occultare studeat. *Οὗτος γάρ*, ait, *παραλαβὼν τὸν κλῆρον παρ' ὑμῶν φέροντα μίσθωσιν τοῦ ἐνιαυτοῦ ὀγδοήκοντα μνᾶς, καρπωσάμενος αὐτὸν δέκα ἔτη οὔτε ἀργύριον ὡμολόγει κεκτῆσθαι οὔτε ὅποι ἀνήλωσεν ἔχοι ἂν ἐπιδεῖξαι, ὦ ἄνδρες*. In orat. autem [Dem.] c. Olympiod. p. 1170 § 12 nummi, quos mensario quis tradidit et ab eo traditos esse homines sciebant, *φανεροὶ* dicuntur (*ἀργύριον δ' εἴ τι κατέλιπεν ὁ Κόνων φανερὸν ἐπὶ τῇ τραπέζῃ τῇ Ἡρακλείδου*) cum *ἀργύριον* tantum *τὸ ἔνδον κείμενον*, quod in iis quae sequuntur commemoratur, Cononis rem occultam efficiat. Haud secus in hypothesi eiusdem orationis p. 1165 inter Callistratum et Olympiodorum convenisse legimus

νείμασθαι ἐξ ἴσης τὴν οὐσίαν, ὅση φανερά τε ἦν καὶ ὡμολογημένη, κοινῇ δὲ ζητεῖν τὰ ἀφανῆ, quibus congruunt quae in ipsius orationis §§ 9. 33. 35. inveniuntur. Neque aliter Isocrates in Areopagitici § 33 sqq. distinguit inter pecunias, quae mutuo datae sunt (*τὰ ἔξω δεδομένα*) et quae domi servantur (*τὰ ἔνδον ἀποκείμενα*) atque illum qui divitias suas domi clausas tenet *ἀποκρύπτεσθαι τὴν οὐσίαν* dicit (§ 35).

Sed quamquam his omnibus exemplis pecuniam ex parte tantum *ἀφανῆ* fuisse docemur, tamen in re familiari eam saepe ab oratoribus factam esse distinctionem videmus, ut pecunia omnis a ceteris rebus, quae nomine *φανερᾶς οὐσίας* comprehenduntur, seiungatur illisque tamquam *οὐσία ἀφανὴς* opponatur. Nam cum omnium rerum optime pecunia, quippe quae domus locis secretis servari soleat, dissimulari possit, illud factum est, ut occultae possessionis notio in pecunia quasi haereret, ita ut etiamtum *ἀφανὴς* diceretur cum revera ab hominibus aestimari potuit. Sic Lysias orat. c. Diog. § 4 (*ἀδελφοὶ ἦσαν Διόδοτος καὶ Διογείτων καὶ τὴν ἀφανῆ οὐσίαν ἐνείμαντο, τῆς δὲ φανερᾶς ἐκοινώνουν*) voce *ἀφανὴς οὐσία* pecuniam sine dubio significat, cum agri et domus et servi et supellex aliaeque res, quae quidem minus bene occultari possint, *φανεραὶ* haud male ab eo nominentur. Neque minus Isaeus de Philoct. hered. § 30 (*τῆς γὰρ φανερᾶς οὐσίας οὐδένα κύριον ἔσεσθαι — εἰ δὲ ἀποδιδόμενός τι τῶν ὄντων ἀργύριον καταλίποι*) quia *ἀργύριον* opponit *φανερᾷ οὐσίᾳ* prodit, pecuniam esse *ἀφανῆ* vel *ἀφανέσιν* adnumerandam, cum eae res, qua-

rum § 33 mentio fit, *ἀγρὸς, οἰκία, βαλανεῖον, αἶγες, ζεύγη, δημιουργοὶ* possessionem efficiant manifestam. Proprie vero etiam pecunia manifestorum bonorum in numero erat atque *ἀφανὴς* tum demum fiebat, cum ab iis qui eam habebant celata a ceteris censeri non potuit.

Variis autem modis Athenienses rem suam familiarem si non omnem at partem certe aliquam *ἀφανῆ* reddere studebant, quorum omnium erat usitatissimus ille, ut nummos suos apud mensarios deponerent vel aliis mutuo darent, quorum auxilio facile *ἀφανίζεσθαι* potuerunt. In mentem mihi venit verborum Isocr. Trapezit. § 7 *βουλευομένοις οὖν ἡμῖν ἐδόκει βέλτιστον εἶναι τὰ μὲν φανερὰ τῶν χρημάτων παραδοῦναι, περὶ δὲ τῶν παρὰ τούτῳ κειμένων μὴ μόνον ἔξαρνον εἶναι, ἀλλὰ καὶ — πάντα ποιεῖν, ἐξ ὧν ἐκεῖνοι μάλιστ' ἤμελλον πεισθήσεσθαι μὴ εἶναί μοι χρήματα.* Homo enim ille quondam se magno in periculo versatum narrat, ne per Satyri regis iram rem suam amitteret omnem, consultavisse propterea Pasionem mensarium communique habito consilio placuisse, ut partem pecuniarum apud Pasionem deponeret, quam is Satyri regis servos ad rem publicandam venturos celaturus esset. Atque in Isaei orat. pro Eumath. § 2 mensarius quidam *ἐμφανίσαι* dicitur pecunias quae ab alio erant depositae, unde *ἀφανεῖς* eas antea fuisse consequitur. Huic autem verborum *ἀφανοῦς οὐσίας* interpretationi ne illud quidem exemplum obstat quod supra ex oratione c. Olymp. attuli, in quo ea ipsa pecunia quae in mensa iacebat *ἀργύριον φανερὸν* dicebatur. Ibidem enim pecunia utpote quam in mensa depositam

heredes scirent mortuum reliquisse, perbene nominari potuit *φανερὰ καὶ ὁμολογουμένη*, cui contraria erat ea, quam Cononem aut habuisse nescirent aut non habuisse contenderent, apud Isocratem vero ea potius est *ἀφανὴς*, quae ut dissimulari posset, in mensa Pasionis abscondebatur.

Athenis igitur pecuniae quae mensario tradebantur, aut *φανεραὶ* fiebant (cf. Apollodori orat. c. Steph. I. p. 1110 § 30 *τῶν δ' ἐπὶ τῆς τραπέζης ὄντων, ἃ πάντες ᾔδεσαν καὶ λαθεῖν οὐκ ἦν*) aut *ἀφανεῖς*; cum autem saepius homines divitias suas ad mensarium deferre solerent, cum *ἀφανίζειν* cuperent (cf. orat. c. Steph. I p. 1121 § 66), scriptores Graeci eam inprimis pecuniam occultam appellare consueverunt, quam quis etiamsi occultare in animo non habuit mutuo aut mensario aut alii cuidam tradiderat. Opponuntur autem his mutuis (*οὐσίᾳ ἀφανεῖ*) non solum pecuniae praesentes, sed etiam omnis reliqua res familiaris. Isaeus quidem in orat. de Cir. hered. § 35, cum dicat *Κίρων γὰρ ἐκέκτητο οὐσίαν, ὦ ἄνδρες, ἀγρὸν μὲν Φλυῆσι καὶ ταλάντου ῥᾳδίως ἄξιον, οἰκίας δ'ἐν ἄστει δύο, τὴν μὲν μίαν — δισχιλίας εὑρίσκουσαν, τὴν δ' ἑτέραν — τριῶν καὶ δέκα μνῶν. ἔτι δ'ἀνδράποδα — καὶ ἔπιπλα, δι' ὧν ᾤκει τὴν οἰκίαν, σχεδὸν σὺν τοῖς ἀνδραπόδοις ἄξια τρισκαίδεκα μνῶν· σύμπαντα δὲ ὅσα φανερὰ ἦν, πλέον ἢ ἐνενήκοντα μνῶν· χωρὶς δὲ τούτων δανείσματα οὐκ ὀλίγα κ. τ. λ. τοῖς δανείσμασι* opponit omnia *ὅσα φανερὰ ἦν*, omnes nimirum res quae antea commemorantur, fundos, tecta, servos, supellectilem. Cui tamen interpretationi obstant nonaginta illae minae (*πλέον ἢ ἐνενήκοντα μνῶν*), quod esset pretium tantum bonorum

immobilium, nisi vitium lateret in numero. Neque enim in enuntiato ὅσα φανερὰ ἦν, quo omnes quae antecedunt res contineri debent, unam alteramve esse omissam probabile est, quoniam orator si ἀνδράποδα et ἔπιπλα partem rei manifestae esse noluit verborum ordine mutato sententiam σύμπαντα δὲ ὅσα — μνῶν potuit praeponere ei quae servos et supellectilem commemorat. Quare verum vidisse apparet qui Phil. Anz. a. 1872 p. 418 cum talem computationis errorem non Isaeo sed librarii potius neglegentiae tribuendum esse censeret, proposuit, ut pro τὴν μὲν μίαν — δισχιλίας εὑρίσκουσαν in textum reciperetur τὴν μὲν μίαν χιλιάς καὶ ἑκατὸν εὑρ. (pro *XX*—*XH*), quam medendi rationem fugisse video Buermannum qui nuperrime Isaeum edidit. Iam igitur cum singuli numeri sexaginta et undecim et bis tredecim efficiant nonaginta septem i. e. πλέον ἢ ἐνενήκοντα, opponuntur, id quod ostendere volui, δανείσματα tamquam οὐσία ἀφανὴς ceteris bonis omnibus et mobilibus et immobilibus, quae φανερᾶς οὐσίας nomine comprehenduntur. Idem factum est in eiusdem orationis § 37 : τά τε οὖν χρέα πάντα, ὅσα ὠφείλετο αὐτῷ, καὶ τόκους ἔπειθε, τά τε φανερὰ δι' αὑτοῦ ποιεῖσθαι atque in Demosthenis orat. c. Nausim. p. 986 § 7, cuius verba quia optime inde apparet, quas res Attici numero φανερᾶς οὐσίας esse voluerint, paucis illustrem. Nausimachus et Xenopithes patrem eius qui orationem habet quondam accusaverant, quod tutor constitutus magna ipsos patrimonii parte privavisset; accepisse enim sese ab illo parva tantum χωρία quaedam et συνοικίας, quamquam patrem suum χρέα καὶ

σκεύη καὶ ὅλως χρήματα reliquisse haud ignorarent. Quibus opprobriis cum Demosthenis cliens respondeat, patrem illorum *χρέα* quidem satis multa, sed parvam *οὐσίαν φανερὰν* habuisse, ab eo esse *σκεύη* ad *φανερὰν οὐσίαν* adnumerata perspicuum est. *Φασὶ γάρ*, inquit, *ὅσα αὐτοῖς κατελείφθη χρέα καὶ σκεύη καὶ ὅλως χρήματα, ταῦθ' ἑαυτῶν γίγνεσθαι· ἐγὼ δ' οἶδ' ἀκούων, ὅτι τὴν οὐσίαν Ξενοπείθης καὶ Ναυσικράτης ἅπασαν χρέα κατέλιπον καὶ φανερὰν ἐκέκτηντο μικράν τινα.* Iam si pergit *εἰςπραχθέντων δὲ τῶν χρεῶν καί τινων σκευῶν πραθέντων, ἔτι δ' ἀνδραπόδων καὶ τὰ χωρία καὶ τὰς συνοικίας ἐπρίαντο* apparet praeter agros et domus etiam servos et supellectilem ad manifesta bona pertinuisse.

Porro Attici non eam tantum pecuniam, quam quis alii mutuo dedit, *ἀφανῆ* nominare solebant, sed factum etiam est nonnunquam ut illam occultam dicerent, quam quis ab alio mutuo accepit. Testis est Andocides, qui in orat. *περὶ μυστ.* § 118. Epilyci cuiusdam rem familiarem dividit in bona *φανερὰ* i. e. ea bona quae ille manibus tenebat, et pecuniam ab ipso debitam. *Τὰ δὲ πράγματα*, ait, *τὰ οἴκοι πονηρῶς εἶχε· τὴν μὲν γὰρ φανερὰν οὐσίαν οὐδὲ δυοῖν ταλάντοιν κατέλιπε, τὰ δὲ ὀφειλόμενα πλέον ἦν ἢ πέντε τάλαντα.* Discrimen tamen, quod inter hoc exemplum et superiora intercedit, non ita magnum mihi videtur, quoniam ut in illis ita in hoc pecuniae aguntur, quae mutuo datae et acceptae sunt, quaeque meo iudicio non tam creditori quam debitori *ἀφανεῖς* aliquando nominari possunt. Atque haec habui, quae dicerem de secunda *ἀφανοῦς* et *φανερᾶς*

οὐσίας significatione, quibus ostendisse mihi videor *τὰ χρέα* i. e. debita sive credita Atticis fuisse *ἀφανῆ*, cum aut pecuniam numeratam aut praeter *χρέα* omnem rem familiarem praesentem nominarent *φανεράν*.

Restat iam tertia significatio quam solam Koutorgam agnovisse supra dixi, secundum quam *φανερὰ* erant omnia ea bona, unde tributum pendi necesse erat, *ἀφανῆ* ea, quae erant immunia. Iam prioribus Atheniensium reipublicae temporibus ut honores ita munera quoque ex fundorum magnitudine et pretio inter cives dividebantur atque inde factum est, ut quoniam hominum intererat fundos tantum *ἀφανεῖς* reddere, etiam hi soli *φανερῶν* in numero haberentur, cum cetera *ἀφανῆ* i. e. immunia essent. Posteriore vero aetate cum ius civitatis non iam cum fundis tam arte cohaereret, desiit etiam fundus solus *φανερὸς* esse, accersitae autem sunt ad aestimationem etiam ceterae bonorum partes inprimis pecuniae ita ut *φανερὰ* et immobilia non iam eadem essent, sed illa multo latiore sensu praeter immobilia etiam mobilia comprehenderent. *Ἀφανὴς* iis temporibus nulla res esse debebat, sed inveniebantur tamen saepissime, qui ne nimium solvere cogerentur partem aliquam rei familiaris celarent; conferas e. g. Isaeum, a quo Apollodorus in orat. d. Apoll. hered. § 39 laudibus effertur, quod omnem apud magistratum declaraverit rem familiarem: *καὶ μὴν καὶ αὐτὸς Ἀπολλόδωρος οὐχ ὥσπερ Προνάπης ἀπεγράψατο μὲν τίμημα μικρόν, ως ἱππάδα δὲ τελῶν ἄρχειν ἠξίου τὰς ἀρχάς.* Sed quamquam oratorum temporibus haec munerum praestandorum ratio valebat, ut omnia essent

in tributum conferenda exceptis scilicet iis quae magistratuum oculos effugiebant, tamen saepissime oratores pristinum illum morem in computatione rerum observantes vel posterioribus temporibus voce *φανερὰ* bona tantum immobilia significant, cum ceterae res praesertim pecuniae sint *ἀφανεῖς* ab iis appellatae, quamquam ne hae quidem tum erant immunes. Sic in [Lys] orat. pro Polyst. § 33 legimus *ἕως μὲν γὰρ εἰρήνη ἦν, ἡμῖν φανερὰ οὐσία καὶ ἦν ὁ πατὴρ ἀγαθὸς γεωργὸς* et in Dem. orat. de pace habita p. 59 § 8 Neoptolemo actori opprobrio vertitur quod *ἣν ἐνθάδ᾽* (Athenis) *ἐκέκτητο οὐσίαν φανερὰν, ταύτην ἐξαργυρίσας* Athenis abiit et in Apollodori orat. c. Polycl. p. 1208 § 8 Apollodorus adrogantibus verbis se quamvis trierarchus fuisset tamen satis magnam pecuniae copiam contribuisse dicit, quia in tribus pagis agros habuisset, (*δόξαν γὰρ ὑμῖν ὑπὲρ τῶν δημοτῶν τοὺς βουλευτὰς ἀπενεγκεῖν τοὺς προεισοίσοντας τῶν τε δημοτῶν καὶ τῶν ἐγκεκτημένων, προσαπηνέχθη μου τοὔνομα ἐν τριττοῖς δήμοις διὰ τὸ φανερὰν εἶναί μου τὴν οὐσίαν*) et Dinarchus I § 70 verbis *καὶ ποῦ τοῦτ᾽ ἐστὶ δίκαιον — τοὺς μὲν φανερὰν κεκτῆσθαι τὴν οὐσίαν καὶ ἀπὸ ταύτης εἰσφέρειν, σὲ δὲ πλείω ἢ πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν τάλαντα, τὰ μὲν ἐκ τῶν βασιλικῶν, τὰ δὲ ἐκ τῶν Ἀλεξάνδρου πραγμάτων εἰληφέναι, μηδὲν δὲ φανερὸν ἐν τῇ πόλει κεκτῆσθαι* opponit pecuniam *οὐσίᾳ φανερᾷ* fundis scilicet, unde tributum penditur. Huc etiam pertinet fragmentum Lysiae in Suidae lexico s. v. *οὐσία φανερὰ καὶ ἀφανὴς* servatum *εἰ μὲν γὰρ ἀγροὺς κατέλιπεν Ἀνδροκλείδης ἢ ἄλλην φανερὰν οὐσίαν, ἐξῆν ἂν τῷ βουλομένῳ*

εἰπεῖν, ὅτι οὗτος μὲν ψεύδεται, αὐτῷ δὲ δέδοται· περὶ δὲ ἀργυρίου καὶ χρυσίου καὶ ἀφανοῦς οὐσίας δῆλον ὅτι ὅστις ἔχων αὐτὰ φαίνεται, τούτῳ δέδοται, ubi secundum morem illum pristinum agri ut *οὐσία φανερὰ* opponuntur pecuniis, quas ad *ἀφανῆ χρήματα* pertinuisse ex ipsis fragmenti verbis apparet. Nec aliter in Demosthenis orat. pro Phorm. p. 945 § 5 (*ἡ μὲν γὰρ ἔγγειος ἦν οὐσία Πασίωνι μάλιστα ταλάντων εἴκοσι, ἀργύριον δὲ πρὸς ταύτῃ δεδανεισμένον ἴδιον πλέον ἢ πεντήκοντα τάλαντα*) fundi (*ἡ ἔγγειος οὐσία*) distinguuntur a nummis, quos tamen Pasio feneratus erat. Quodsi quaerimus, qui fieri potuerit, ut pristina illa bonorum divisio vel oratorum aetate valeret, tenendum est, id quod supra dixi, cuius res familiaris ex nummis constabat eum multo facilius munera publica evitare potuisse, quam qui praedia tantum sive urbana sive rustica possidebat. cf. Aesch. I § 101 *φοβηθεὶς γὰρ τὰς λητουργίας ἀπέδοτο ἃ ἦν αὐτῷ κτήματα.* Sed apud eosdem oratores non desunt exempla, ex quibus etiam pecunias censeri solitas esse ab Atheniensibus apparet. Ab Isaeo de Dicaeog. hered. § 36 Dicaeogenes vituperatur, quod *ἀπὸ τοσαύτης προςόδου,* quamquam ex patrimonii locatione octoginta per annum minas reciperet, minora munera subierit et in orat. de Phil. hered. § 38 Euctemonem et Philoctemonem tantum possedisse legimus *ὥστε τὰ μέγιστα λητουργεῖν,* ubi non de bonis tantum immobilibus cogitare licet. Demosthenes vero c. Aphob. II p. 836 et 837 § 2—7 praeter alias sententias quae huc pertinent maxime his nobis ostendit etiam pecuniam esse *φανερᾷ οὐσίᾳ* adnumerandum vel quod idem est

etiam pecuniam esse in tributum conferendam: (§ 3) *ἔπειτ' αὐτὸς ὁ πατὴρ τήν τ' ἄλλην οὐσίαν καὶ τέτταρα τάλαντα καὶ τρισχιλίας φανερὰς ἐποίησεν* et (§ 4) *ἔτι δὲ καὶ αὐτὸς Ἄφοβος — τῇ πόλει τὸ πλῆθος τῶν καταλειφθέντων χρημάτων ἐμφανὲς ἐποιήσεν.* Accedunt Dem. c. Aphob. I p. 830 et 831 (*πρὸς Ἄφοβ.* p. 858 § 46) ubi orator patrem suum eo opprobrio liberare conatur, quasi occultis quattuor talentis rempublicam privare voluerit, cui pecuniam satis magnam oratoris avum debuisse Aphobus quondam contenderat cf. Dem. c. Aphob. II p. 835 § 1; accedunt praeterea Isocrat. c. Callim. § 48 et § 60 [Lys.] pro Polystr. § 23, Demosth. c. Aphob. I p. 815 § 8 [Dem.] c. Phaenipp. p. 1045 § 23. Verba ad postremum Apollodori c. Steph. I p. 1121 § 66 *ἐπὶ τῷ τὴν πόλιν φεύγειν καὶ τὰ ὄντα ἀποκρύπτεσθαι προῄρηται πράττειν, ἵν' ἐργασίας ἀφανεῖς διὰ τῆς τραπέζης ποιῆται καὶ μήτε χορηγῇ κ. τ. λ.* pertinent non tam ad secundam quam ad tertiam significationis classem, ad tertiam quod quoniam *ἀφανὴς* erat pecunia, tributum non pependit Stephanus, ad secundam, quod ea ratione possessor eam immunem reddidit, ut in mensa deponeret. Quapropter hoc est Koutorgae concedendum, saepe homines, ut tributa effugerent, nummos suos mensario tradidisse, tenendum tamen, non omnes pecunias, quae in mensa cum iacerent *ἀφανεῖς* dici potuerunt, etiam immunes fuisse neque magis putandum, si pecuniam *ἀφανῆ* esse nominatam vidimus in Lysiae c. Diog. oratione, propterea de ea nihil contribuisse Diodotum et Diogitonem. Quodsi quaerimus, quas potissimum res

Attici *φανεροῖς* adnumeraverint et quas *ἀφανέσι*, praedia rustica et urbana vel ut apud Harpocrationem est *ἡ ἔγγειος οὐσία* omnibus temporibus manifestorum bonorum in numero erant, pecuniae vero, quamquam cum optime celari possent tamquam *ἀφανὴς οὐσία* a ceteris bonis nonnunquam seiungebantur, aut omnes erant *φανεραὶ* aut partim *φανεραὶ* partim *ἀφανεῖς*. Consueverunt autem homines eas potius pecunias occultas nominare, quae fenori datae erant vel in mensa iacebant; nonnunquam tamen etiam eae quae domus secretis locis servabantur, hominum calculum effugiebant. Quod ad servos et supellectilem attinet, si duas tantum priores significationes respicimus, semper ad *φανερὰν οὐσίαν* pertinebant, sin tertiam, fuit cum animalia et supellex in tributum conferenda non erant, posterioribus autem temporibus etiam haec *φανερὰ* sunt facta.

Sed haec hactenus. Nunc vero de vocis *ἔπιπλα* apud Atticos usu dicendum est, quam cum homines posterioris aetatis bona mobilia significasse dicant, ego numquam fere hoc sensu a scriptoribus vere Atticis usurpatam esse iis quae sequuntur exponam. Posterioribus enim temporibus cum Graeci Romanorum iure privato cognito ipsi quoque bona mobilia et immobilia discernere coepissent atque illis nomen indidissent *ἔπιπλα*, haec *οὐσίαν ἔγγειον* nominare solerent, factum est, ut grammatici non satis accurate neque diligenter oratorum locis comparatis hanc novam bonorum divisionem ad vetustiorem quoque aetatem transferrent. Ex grammaticorum autem operibus *ἐπίπλων* interpretatio transiit in lexica et scholia, quae adeunda sunt

priusquam ad scriptores Atticos nos convertamus. Grammatici igitur alii verbum ἔπιπλα a vocibus πλεῖν vel πλοΐζειν ducunt, alii communem cum voce ἐπιπολὴ stirpem habere contendunt, tertii denique cum voce πέπλον coniunctum esse volunt, quam sententiam cum per se ineptam tum ortam esse patet ex interpretatione locorum quibus ut in Sophoclis Athamante vox ad vestimenta significanda usurpabatur. Omissis igitur quae s. v.v. ἔπιπλα apud Hesychium (ἱμάτια γυναικεῖα) Et. Magnum (ἢ ἔπιπλα τὰ ἱμάτια, ἀπὸ τοῦ πέπλον ἔπιπλον) lex. Herodot. κατ' ἀλφ. (τὰ ἐπάνω τῶν στρωμάτων) extant*) ad ceteras transeundum est. Atque de primo veriloquio Pollux initio X^mi libri, praemissis nonnullis, quae paulo post afferam, haec praebet: Ἡρόδοτος δὲ αὐτὰ ἐπίπλοα εἴρηκεν οἷον ἃ καὶ πλέων ἄν τις ἐπικομίζοιτο, quibuscum plane congruunt quae Eustathius Pausania auctore in commentario ad Homerum p. 1469 profert ἔπιπλα γὰρ κατὰ Παυσανίαν τὰ μὴ ἔγγαια κτήματα, ἀλλ' ἡ κατ' οἰκίαν κτῆσις ἡ δυναμένη πλεῦσαι, unde Herodoteam formam ἐπίπλοα**) fuisse causam apparet, cur grammaticus ille, ad quem et Pollux et Pausanias revocandi sunt, ἔπιπλα a verbo πλοΐζειν duceret. Antecedunt autem apud Pollucem de altero illo veriloquio haec: αὐτὰ δὲ τὰ σκεύη καλοῖτ' ἂν ἔπιπλα, ἤγουν ἡ κούφη κτῆσις, τὰ ἐπι-

---

*) Melius Thom. M. p. 126 R. τάττεται μὲν καὶ ἐπὶ ἱματίων ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον δὲ ἐπὶ παντοίων σκευῶν κτλ.

**) Ita codices omnes 1, 94, qui ceteris locis ἔπιπλα habent. Vitium admodum vetus esse vix est quod moneam.

πολῆς ὄντα τῶν κτημάτων· ὁ γοῦν Εὔπολις ἐν τοῖς Κόλαξι προειπών·

Ἄκουε δὴ σκεύη τὰ κατ' οἰκίαν

ἐπήγαγε

Παραπλήσι' ὄντα σοι γέγραπται τἄπιπλα

quibuscum si conferimus lex. Herod. κ. ἀλφ. s. v. ἔπιπλα ἔπιπλα ἡ μὴ βεβαία κτῆσις ἀλλ' ἐπιπόλαιος et Gregorium Corinthium de dialectis p. 514 ἔπιπλα τὴν μὴ βαθεῖαν κτῆσιν ἀλλ' ἐξ ἐπιπολῆς, elucet ἔπιπλα, utpote quibus ibi ἡ βεβαία hic ἡ βαθεῖα κτῆσις opponatur, grammaticis eas fuisse res quae loco non haererent neque radicibus tenerentur, sed quae cum ἐξ ἐπιπολῆς i. e. in superficie essent moveri possent. Atque apud Pollucem huic veriloquio additum est Eupolidis de ἐπίπλων significatione testimonium, cuius vestigium in Phrynichi lexico s. v. ἐνδομενία extat p. 334 Lob: ἐνδομενία ἀμαθῶς· δέον διττῶς λέγειν ὡς Εὔπολις Κόλαξιν, σκεύη τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν καὶ ἔπιπλα. Accedit Harpocratio s. v. ἔπιπλον. Ἰσαῖος ἐν τῷ πρὸς Διοκλέα· τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν σκεύη ἔπιπλα λέγουσι, τὴν οἷον ἐπιπόλαιον κτῆσιν καὶ μετακομίζεσθαι δυναμένην. Σοφοκλῆς Ἀθάμαντι (cf. Hes. s. v. ἔπιπλα) et epitome ἔπιπλα τὰ ἐξεπιπολῆς σκεύη οἷον ἡ ἐπιπόλαιος κτῆσις καὶ ὅση δυνατὴ πλοΐζεσθαι καὶ οὐκ ἔγγειος, quae verba intercedente Photio, ut vulgo putant, in lexicum suum recepit Suidas s. v. ἐπ.[3] quaeque etiam praeter alia praebent schol. Luc. p. 69 Iac. et Etym. magn. s. v. ἔπιπλα. Accedunt lexicorum nonnullorum membra quae quamquam alterum tantum veriloquium commemorant, tamen ad eundem fon-

tem revocanda esse apparet, ad quem uberior Pollucis et Harpocrationis memoria pertinet, dico Bachmanni anecd. II p. 338, 19 *ἔπιπλα λέγονται τὰ ἐλαφρότατα τῶν κτημάτων* (apud Pollucem *ἡ κούφη κτῆσις*) *παρὰ τὸ ἐπιπολάζειν* et Bekkeri lex. rhet. p. 255, 11 *ἔπιπλα τὰ σκεύη τὰ ἐν χερσὶ καὶ χρειώδη καὶ ἐπιπολάζοντα τῇ οἰκίᾳ*, et Eustathium l. l. *καὶ μὴν ἄλλως ἔπιπλα καθ' ἑτέρους ἐκ τῆς ἐπιπολῆς τὰ οἱονεὶ ἐπιπολάζοντα ἐν τῷ προφαίνεσθαι.* Omnibus his locis *ἔπιπλα* aut a verbo *πλοΐζειν* aut a voce *ἐπιπολὴ* ducta quamquam recte *σκεύη* vel *σκεύη τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν* dicuntur, tamen quod *οὐσίᾳ ἐγγείῳ* i. e. fundis opponuntur iniuria factum est neque cum Atticorum scriptorum loquendi usu concinit.

Ac primum quidem ut demonstrem, nunquam vocem *ἔπιπλα* ab antiquis scriptoribus ad bona mobilia significanda usurpatam neque *οὐσίᾳ ἐγγείῳ* oppositam esse, eos locos colligam, quibus aut *ἔπιπλα* cum voce *ἔγγειος* omnino non coniungantur, aut praeter *ἔπιπλα* tales res commemorentur, quae apud Romanos mobilium nomine comprehenduntur. Nam si e. g. hominem quendam *ἔπιπλα* sua et servos et pecora vendidisse legimus, certo scimus *ἔπιπλα*, quippe quae neque servos neque pecora complectantur, ne vim quidem bonorum mobilium habere posse. Sic in Isocratis oratione c. Euthyn. § 2 praeter *ἔπιπλα* afferuntur servi et pecunia : *τοὺς οἰκέτας ἔξω τῆς γῆς ἐξέπεμψε, τὰ δ' ἔπιπλα ὡς ἐμὲ ἐκόμισε, τρία δὲ τάλαντα ἀργυρίου Εὐθύνῳ φυλάττειν ἔδωκεν;* neque aliter res se habet in Lysiae orat. c. Erat. § 19, c. Diog. § 15, de Arist. bonis §§ 29

et 31, Isaei de Cir. hered. § 35, de Hagniae hered. §§ 41 et 43, Demosth. orat. c. Aphob. I p. 816 § 10, Aeschin. Timarcheae § 97, in quarum nulla ἔπιπλα ita usurpantur, ut pro omnibus sint rebus mobilibus aut a possessione terrestri distinguantur, imo ubicunque una cum fundis commemorantur ἔπιπλα, eam coniunctionem fortuito factam esse primo quasi obtutu unusquisque videbit veluti in Lys. orat. de Arist. bonis § 29 : *ἐν οὖν τέτταρσιν ἢ πέντε ἔτεσι πρότερον μὴ ὑπαρχούσης οὐσίας χαλεπὸν, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, τραγῳδοῖς τε δὶς χορηγῆσαι ὑπὲρ αὑτοῦ τε καὶ τοῦ πατρὸς, — οἰκίαν τε πεντήκοντα μνῶν πρίασθαι, γῆς τε πλέον ἢ τριακόσια πλέθρα κτήσασθαι, ἔτι δὲ πρὸς τούτοις οἴεσθαι χρῆναι ἔπιπλα πολλὰ καταλελοιπέναι*, ubi is qui orationem habet, cum inde a § 27 iudicibus probare conetur, Aristophanem nunquam possedisse magnam vasorum copiam aeratorum, difficile esse exponit, spatio quattuor vel quinque annorum agros et domus emere et ἔπιπλα quoque multa et pretiosa colligere. Collocantur igitur revera ex altera parte domus et agri, ex altera ἔπιπλα, sed casu magis quam ratione facta est oppositio, nam si Aristophanes non fundos sibi illis annis sed alia quaedam paravisset, haec orator ἐπίπλοις opposuisset. Nihil autem aliud ex hoc loco concludere licet, quam vasa illa aerata, quae supra commemorata sunt, ἐπίπλων numero fuisse. Iam apud Herodotum sexies invenitur vox ἔπιπλα I 94, 150. 164 III 135 VI 23 VII 119 sed nusquam fundorum vel ἐγγείου οὐσίας commemoratio fit, quibus contraria sint ἔπιπλα. Saepissime etiam Xenophon voce ἔπιπλα utitur,

veluti in Oecon. III § 2 *τί δ' ἦν — ἐπιδεικνύω, τοὺς μὲν πάνυ πολλὰ καὶ παντοῖα κεκτημένους ἔπιπλα καὶ τούτοις, ὅσων δέωνται μὴ ἔχοντας χρῆσθαι καὶ διὰ ταῦτα — πολλὰ ἀνιῶντας τοὺς οἰκέτας,* quae verba nostram de *ἐπίπλων* vi sententiam comprobant, quoniam illorum commemoratione facta separatim servi nominantur. Ibidem IX § 6 q. s. omnia quae secundum Xenophontem *ἐπίπλων* nomine comprehenduntur enumerantur, neque tamen *ἐγγείοις* opponuntur; neque magis de vectig. IV § 7 *ἐπίπλων* est et fundorum oppositio sed a pecuniis illa distinguuntur. Ampliorem autem quam illi unus apud Xenophontem locus, Convivii IV § 31, explicationem desiderat. Ibi enim cum Charmides pauperiem laudibus efferat verbis *νῦν δὲ ἐπειδὴ τῶν ὑπερορίων στέρομαι καὶ τὰ ἔγγεια οὐ καρποῦμαι καὶ τὰ ἐκ τῆς οἰκίας πέπραται, ἡδέως μὲν καθεύδω ἐκτεταμένος,* quamquam rem suam familiarem dividit in bona *ὑπερόρια* et bona *ἔγγεια* — similiter Comment. II c. 8 § 1, *τὰ ἐν τῇ ὑπερορίᾳ κτήματα* opponuntur iis bonis quae quis in Attica possidet — tamen verbo *τὰ ἔγγεια* adiungitur sententia *καὶ τὰ ἐκ τῆς οἰκίας πέπραται.* Neque tamen haec verba tamquam librarii cuiusdam additamentum e textu removere audeo, quia qua re ille ea addiderit non liquet. Restat tantum, ut et ad *τῶν ὑπερορίων* et ad *τὰ ἔγγεια* vocem *χωρία* suppleamus, quo facto haec verba Latina lingua ita fere exprimi possunt: „Nunc autem cum agris meis et iis quos extra Atticae fines habebam et quos in Attica ipsa colebam privatus sim, cum omnia ex domo mea vendiderim, humi iacens dulcem carpere somnum possum.“

Nec tamen inde quod ex altera parte collocat fundos, ex altera *τὰ ἐκ τῆς οἰκίας,* revera eum bona immobilia opposuisse apparet mobilibus. Sed ne enumeranda longa serie rerum e domo venditarum audientes fatigaret, eas enuntiato *τὰ ἐκ τῆς οἰκίας* comprehendit, quapropter idem fere factum esse persuasum habeo, quod in Demosth. c. Onet. oratione p. 871 § 28, ubi orator adversarium suum, quod ex agro aliquo omnia quae moveri potuerint, omnia *πλὴν τῶν ἐγγείων*, reportaverit, gravissimis urit et acerbissimis verbis. Onetor enim ne Demosthenes iure agrum illum occupare videretur veritus, ut quam plurima sibi servaret omnia evexerat relictis tantum iis, quae moveri non poterant. Discernuntur igitur hic procul dubio res mobiles ab iis quae loco moveri non possunt, sed cum agantur res ex sede quadam evehendae, haec oppositio meo judicio diversa est ab ea quam Romani secundum ius suum statuebant, neque praeterea quemquam de bonis mobilibus cogitasse persuasum habeo, quae essent contraria iis quae immobilia sunt. Quae cum ita sint, illud affirmare non dubito, Graecos bonae aetatis Romanam bonorum divisionem cognitam non habuisse, quamquam posterioribus temporibus, cum Graeci cum Romanis commercium haberent, ne illis quidem rei mobilis et immobilis notio amplius ignota esse potuit. Polybius quidem nonnullis locis Romanam illam rei familiaris divisionem praebet sic XXXII 8, 4 de Lucio Aemilio legimus *ἀπέλιπε τὸν ἴδιον βίον, ὥστε (τοὺς υἱοὺς) μὴ δύνασθαι τὴν φερνὴν τῇ γυναικὶ διαλῦσαι ἐκ τῶν ἐπίπλων, εἰ μὴ τῶν ἐγγείων τινὰς προςαπέδοντο κτήσεων* atque

VI 45, ubi Cretensium civitatis instituta cum iis quae Lacedaemone valebant comparat, eodem modo *τὸ διάφορον* i. e. *τὰ ἔπιπλα* a possessione terrestri distinxit. Haud secus etiam Plutarchus in bonis dividendis Romanorum rationem adoptavit, ut ex Lycurgi vitae c. 9 intellegere poteris, ubi cum verbis quae antecedunt Lycurgum agros aequis sortibus inter Spartiatas divisisse narraverit addit *ἐπιχειρήσας καὶ τὰ ἔπιπλα* i. e. bona mobilia *διαιρεῖν*.

Sed ne cumulatis exemplis hoc meum opusculum ultra modum crescat, satis ostendisse adhuc mihi videor quam non habuerit vim vox *ἔπιπλα* Graecorum oratorum aetate; restat nunc ut in genuinum sensum qualis tum fuerit ita inquiram, ut locos nonnullos, quos iam attigi iterum ad quaestionem meam adhibeam, adhibitis alios addam quos supra omisi. Proficiscor autem ab Eupolidis verbis:

Ἄκουε δὴ σκεύη τὰ κατ[ὰ τὴν] οἰκίαν.
Παραπλήσι' ὄντα σοι γέγραπται τἄπιπλα.

unde apparet *ἔπιπλα* esse *σκεύη τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν* vel eas res comprehendere, quae ad usum domesticum adhibentur, id quod comprobatur et Isaei orat. de Cironis hered. § 35 *καὶ ἔπιπλα δι' ὧν ᾤκει τὴν οἰκίαν* et Xenophontis de vectig. IV § 7, ubi legimus *καὶ γὰρ δὴ ἔπιπλα μὲν ἐπειδάν τις κτήσηται τῇ οἰκίᾳ*. Sed quamquam verba *σκεύη τ. κ. τ. οἰκίαν* nos de animalibus aut de pecunia cogitare non patiuntur, tamen parum circumscripta est haec definitio ita ut vix si scriptores Graeci nos deficerent cognosceremus quid Attici ad *ἔπιπλα* adnumerassent, quid ex numero eorum secrevissent. Necesse igitur erit ad illos recur-

ramus. Atque ut ab oratoribus incipiamus, ex iis maxime cognoscimus quas res cum praeter *ἔπιπλα* afferantur sub *ἐπίπλων* nomine intellegere non liceat. Sic inprimis servi cum iis confundendi non sunt, cum servi in omnibus fere locis qui huc spectant seorsum ponantur veluti in Isocr. orat. c. Euthyn. § 2 Lysiae oratt. c. Eratosth. § 19 et c. Diog. § 15 Isaei de Cir. hered. § 35 Demosth. c. Aphob. I p. 816 § 10, neque pecunia quoniam et ipsa omnibus locis, excepta tantum de Cir. hered. paragrapho 35, iuxta *ἔπιπλα* nominantur neque pecora, quia legimus in Isaei de Hagniae hered. § 41 *Θεοφῶν γὰρ — τόν θ' αὑτοῦ ἔδωκεν ἀγρὸν Ἐλευσῖνι δυοῖν ταλάντοιν, πρόβατα ἑξήκοντα, αἶγας ἑκατὸν, ἔπιπλα, ἵππον λαμπρὸν κ. τ. λ.* et § 43 *χωρὶς δὲ τούτων κατέλιπεν ἔπιπλα, πρόβατα, κριθὰς, οἶνον, ὀπώρας,* ex quo loco ne fruges quidem neque vinum — quamquam vix opus erat demonstrare — ad *ἔπιπλα* pertinuisse patet. Contra ex Lysiae de Arist. bonis orat. § 29 iam supra vidimus *χαλκώματα* in *ἐπίπλων* notione contineri atque ex oratione de Cir. hered. § 35 quem locum saepius iam laudavi *ἔπιπλα οὐσίας φανερᾶς* esse partem docemur. Ibi enim posteaquam ex Cironis bonis enumeravit orator agrum et domus et servos et *ἔπιπλα* haec omnia comprehendit enuntiato *σύμπαντα ὅσα φανερὰ ἦν.* Quodsi ad Xenophontem nos convertimus, inde primum quod ex oratorum scriptis conclusimus ex parte confirmatur; de vectig. enim IV § 7 pecunia opponitur epiplis et Oecon. III § 2 perspicue servi ab illis distinguuntur, deinde vero Oecon. IX § 6 sqq. certiores fimus, quae illae res fuerint, quas Attici

voce ἔπιπλα comprehenderunt. Sunt igitur vestimenta et omnis generis instrumenta, quae et in sacris faciendis et ad quemvis in domo usum et laborem adhibentur. Sed illud est cavendum ne putemus vocem ἔπιπλα notionem prorsus definitam certisve finibus circumscriptam habuisse. Nam ut latiore sensu aliis locis (Lys. de Aristoph. bon. § 31, Thuc. 3, 68) ea vox usurpatur, ita aliis quae epiplis continentur ea iuxta illa seorsum commemorantur. Sic vestimenta quae apud Xenoph. Oecon. IX 6 epiplis adnumerantur a Lysia c. Erat. § 19 et c. Diog. § 15 et a Demosthene c. Aphob. I § 10, praeter vestimenta etiam vasa separatim afferuntur a Demosthene c. Aphob. I § 10 *κατέλιπε — οἰκίαν τρισχιλίων, ἔπιπλα δὲ καὶ ἐκπώματα καὶ χρυσία καὶ ἱμάτια κ. τ. λ.*

Pro ἔπιπλα apud Phrynichum (p. 334 Lob.) legimus, Graecorum nonnullos scriptores minus bene vocem ἐνδο(υ)μενία usurpasse et apud Suidam s. v. ἐνδυομενία haec vox per ἔπιπλα explicatur et Pollucis auctor X 12 cum et ipse ἐνδομενίας pro ἔπιπλα usum vituperet, praeferendas esse voces παγκτησίαν ἢ παμπησίαν nos docet. Atque Pollux illam vocem τοὺς πολλούς usurpare, scriptam exhibere Ὀλυμπιάδος ἀπογραφὴν dicit; nobis exemplorum instar loci Polybiani servati sunt IV 77, 1 : *οἱ δὲ Μακεδόνες εἰςπεσόντες τὴν μὲν ἐνδομενίαν ἅπασαν ἐκ τῶν οἰκιῶν παραχρῆμα διήρπασαν* et V 81, 3 : *κατὰ τὴν ἐσθῆτα καὶ τὴν ἄλλην περικοπὴν ἀνεπισήμαντος διὰ τὸ ποικίλην εἶναι κἀκείνων τὴν ἐνδὸμενίαν.*

Haec habui quae dicerem de illorum vocabulorum apud Atticos notione et usu. Epimetro sit quaestiuncula, quae quamquam non idem at simile tamen habeat argumentum. Veteres enim Athenienses distinxisse inter *ἔγγεια* et *ναυτικὰ* sive *συμβόλαια* sive *χρήματα* sive *τόκους* notum est. Usuris autem maritimis pupillorum rem familiarem elocare tutoribus interdictum fuisse cum dudum a Boeckhio Oec. Athen. I p. 89, quem Meier de lit. Att. p. 450 sq. aliique sequuti sunt, testimoniis Lysiacis et in or. c. Diog. § 25 et apud Suidam s. v. *ἔγγειον* servatis comprobatum sit, hanc nuper sententiam Van den Es in libello suo de iur. fam. apud Athen. p. 176 ita impugnavit ut iisdem locis examinatis et additis duobus aliis Lysiae c. Diog. § 23 et Dem. c. Naus. p. 986 § 7 contra illorum virorum auctoritatem licuisse tutoribus contenderet orborum patrimonium usuris etiam maritimis si mallent elocare. Profectus a Lysiae c. Diog. § 23 *ἐξῆν αὐτῷ κατὰ τοὺς νόμους οἳ κεῖνται περὶ τῶν ὀρφανῶν — μισθῶσαι τὸν οἶκον — ἢ γῆν πριάμενος ἐκ τῶν προσιόντων τοὺς παῖδας τρέφειν,* quae verba tutoribus licuisse ostendunt aut pupillorum rem familiarem elocare aut pecunia illis relicta agros emere, comparat primum Dem. c. Nausim. p. 986 § 7 *τὰ χωρία καὶ τὰς συνοικίας ἐπρίαντο οἱ ἐπίτροποι,* quae verba factum esse revera aliquando apud Athenienses docent, ut tutor orborum pecunia fundos emeret, quorum reditu illos aleret, deinde se convertit ad Lysiae c. Diog. § 25 *καὶ ἀποπέμψας εἰς τὸν Ἀδρίαν ὁλκάδα δυοῖν ταλάντοιν ὅτε μὲν ἀπέστελλεν, ἔλεγε πρὸς τὴν μητέρα αὐτῶν, ὅτι τῶν*

παίδων ὁ κίνδυνος εἴη, ἐπειδὴ δὲ ἐσώθη καὶ ἐδιπλασίασεν, αὐτοῦ τὴν ἐμπορίαν ἔφασκεν εἶναι, quo loco probari Van den Es contendit fuisse permissum tutoribus pupillorum patrimonium vel ad negotia ipsa maritima adhibere vel usuris maritimis elocare. Diogitonem enim ab oratore non vituperari, quod navem liberorum periculo in Adriam misisset, sed propterea tantum quod cum navis incolumis Athenas rediisset, lucro eos privavisset. Si omnino non licuisset orborum pecuniam ad negotia maritima adhibere, etiam illud eum perstricturum fuisse acerbissimis verbis. Ad postremum Lysiae apud Suidam testimonium (*τοῦ νόμου κελεύοντος τοὺς ἐπιτρόπους τοῖς ὀρφανοῖς ἔγγειον τὴν οὐσίαν καθιστάναι, οὗτος δὲ ναυτικοὺς ἡμᾶς ἀποφαίνει*) ita infringere studet ut verba *οὗτος — ναυτικοὺς* corrupta esse, quae antecedunt *τοῦ νόμου — καθιστάναι* nihil aliud significare dicat quam quod Lysiae verbis c. Diog. § 23 exprimatur: *ἐξῆν — γῆν πριάμενος ἐκ τῶν προσιόντων τοὺς παῖδας τρέφειν.* Illud tantum inter duos hos locos esse discrimen, ut cum in fragmento esset *τοῦ νόμου κελεύοντος*, in orat. c. Diog. tutoribus licere agros emere legeremus. Potuit igitur tutor ex Van den Esii sententia aut agrorum quos emerat reditibus pupillos alere (c. Diog. § 23, Dem. c. Naus. § 7, fragm. Lys.) aut illorum patrimonium usuris sive terrestribus sive maritimis mutuo dare (Lys. c. Diog. § 25). Sed equidem facere a me impetrare non possum ut ei assentiar, nam primum discrimen illud, quod prorsus neglegere se posse existimavit, meo iudicio non ita parvum est, deinde etiamsi quis concedat alteram fragmenti partem esse corrup-

tam, quamquam ne hoc quidem facio, tamen oppositio quae est inter voces ἔγγειον et ναυτικοὺς semper remanet. Itaque persuasum habeo agi pecunias aut usuris terrestribus aut maritimis elocandas, vetari igitur tutores liberorum re familiari ad pactiones maritimas ineundas uti. At Lys. c. Diog. § 25 prodere videtur licuisse Diogitoni rem pupillorum ad negotia maritima adhibere. At meo iudicio tutor ille perfidus non castigatur ab oratore, quod lucro ipse fructus sit, sed quia navem pupillorum suorum pecunia exstructam in mare Adrianum misit. Quae cum ita sint causam esse non video cur Boeckhii sententiam repudiemus. Valuerunt autem maxime duae de re orborum administranda leges, una secundum quam tutoribus licebat aut illorum pecunia agros emere (Dem. c. Naus. § 7) aut rem familiarem elocare (cf. Lys. c. Diog. § 23), altera quae tutores qui elocare maluerunt, ut usuris tantummodo terrestribus mutuo darent obstrinxit (fragm. Lys.). Quod quidem mirandum non est cum in pactionibus maritimis si navis vel merces quae pignori erant, aut damnum capiebant aut prorsus peribant, creditor aut partem pecuniae aut omnem amitteret. Quodsi tutores rem pupillorum elocare voluerunt, magistratum adierunt ut mitteret qui pignora praebenda aestimarent (cf. Harp. s. v. ἐπιτιμηταί). Quanta religione cum Athenienses in orborum patrimonio administrando egerint, iam ideo vix est credibile permissum fuisse eorum rem familiarem tantis credere periculis.

Vita.

Natus sum Hugo Willenbücher postridie cal. Dec. anni h. s. undesexagesimi Nieder-Olmi, in vico prope Moguntiam sito, patre Ottone Henrico, matre Amalia e gente Rose. Fidem profiteor evangelicam. Puerili doctrina institutus a Nieder-Olmensi magistro Moguntiam veni ibique in quintam gymnasii classem receptus sum. Anno h. s. duodeoctogesimo maturitatis testimonio instructus Gissam in academiam Ludovicianam abii, ut studiis philologis operam darem. Docuerunt me ibi per quattuor fere annos viri clarissimi Bratuscheck, Clemm, Lemcke, Oncken, Philippi, Pichler, Schiller, Schulthefs. Sodalis ordinarius eram seminarii philologi per duos annos atque omnium exercitationum, quae sunt a rectoribus humanissimis Clemmio et Philippio institutae, particeps eram. — Facultate docendi accepta in numerum sodalium ordinariorum seminarii paedagogi receptus sum, quod cum gymnasio Gissensi coniunctum Schilleri auspiciis floret. Omnibus viris de me bene meritis gratias semper habebo maximas.